

15.
DE
INFLATIONE
HYPOCHONDRIORVM
FREQUENTIVS SINISTRVM
QVAM DEXTRVM INFESTANTE,

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E
PRO-RECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

75
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. XXV. AVGVSTI, A. S. R. CL. MDCC. LVIII.

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

CONRADVS ZACHARIAS BOEHME
MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE E TYPOGRAPHEO HENDELIANO.

DE
INFLATIONE
HYPOTHORNDIORVM
TREVENTIVS RIVISTIVM
GVAN DEXTRAM INTESTANTE
CONSENSV GRATIOSA FACULTATIS MEDICAE
D. ANDREA ELIA EYCHNERO
PRO GRADV DOCTORIS
CONRADVS SACR. PAL. JOHNE



VIRIS
MVNERVM SPLENDORE, ANIMI INTEGRITATE,
VIRTVTVM PRAESTANTIA, ATQVE IMMORTALIVM
IN PATRIAM MERITORVM MLTITVDINE

LONGE SPECTATISSIMIS,

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,
ET CONSVLTISSIMO,

IO. STEPH. GERMERSHAVSIO,

POTENTISSIMO REGI PRVSSORVM ET ELECTORI
BRANDENBVRGICO A CONSILII IN TRIBVNALI
SANCTIORIBVS,

DOMINO SVO AGNATO

SVMMA OBSERVANTIA ET PIETATE AETERNVM COLENDO,

MAECENATI ET PATRONO
INDVLGENTISSIMO;

VT ET
AMPLISSIMO, CONSVLTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO,

IOANNI PETRO WANNEY,

POTENTISSIMO REGI PRVSSORVM ET ELECTORI
BRANDENBVRGICO A RE MONETARIA SVMMO
DIRECTORI,

COGNATO SVO

OMNI ANIMI SANCTITATE AETATEM DEVENERANDO,

MAECENATI AC FAVTORI
INDVLGENTISSIMO,

SPECIMEN HOC INAUGVRALE,
QVICQVID LITTERARVM EST,
TESTIMONIO GRATISSIMI SVI ET OBSERVANTISSIMI ANIMI
NON SANE VNQVAM MORITVRI,
PRO
TOT, TANTIS TAMQVE INNVMERIS AMPLISSIMIS
BENEFICIIS, TOT ANNOS IN SE IMMERENTEM
COLLATIS,

CVM MAXIME PIO ET ARDENTISSIMO VOTO
OMNIGENAE ET SEMPITERNAE PROSPERITATIS
ET CORPORIS INTEGRITATIS

D. D. D.


SEQVE VLTERIORI EORVM FIDEI, POTESTATI,
BENEVOLENTIAE ET CLIENTELAE
PERMISSVM ET COMMENDATVM CVPIT,

TANTORVM NOMINVM


OBSERVANTISSIMVS ET DEVOTISSIMVS
CLIENS ET CVLTOR
CONRADVS ZACHARIAS BOEHME.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
INFLATIONE
HYPOCHONDRIORVM
FREQVENTIVS SINISTRVM,
QVAM DEXTRVM INFESTANTE.



PROOEMIUM.

 Quamquam ars corpora huma-
na concinne & scienter dis-
secandi tantis laudibus effe-
tur, & tam maximi vsus & fru-
ctus, ad medicam scientiam
amplificandam & in melius
prouehendam, constanti &
omnium communi velut ser-
mone celebratur: tantum tamen abest, vt ea
tam frequenter & diligenter, quam conueni-
enter

enter, pluribus malis planius ac dilucidius expediendis & clariore luce collustrandis adhibeatur, vt nec ita plures quidem adeo benignos existimatores eius atque aestimatores reperiatur, qui ei iustum ac debitum suum pretium statuunt, perperam sibi persuadentes, artis huius esse haud ita magnum usum vtilitatemque ad medicinam faciendam & ad aegrotantium lectos exercendam. Quid vero argumenti habeat haec tali opinione imbutorum assertio, quamque leuissimis atque inanissimis nitatur rationibus, haud sane obscure illi patebit, qui intentioribus ac iustioribus oculis vtilitatis fructum, quem medica scientia ex anatomes cognitione exquisitior percipit, propius altiusque inspexerit & eam in medendi scientiae incrementa recte conferre didicerit. Mihi itaque diu ac multum cogitanti, quod potissimum Dissertationi inaugurali elucubrandae eligerem argumentum, occurrit memoria eorum, quae in MORGAGNI *Aduersariis anatomicis*, de *hypochondriorum inflatione*, *sinistrum magis, quam dextrum, frequentante & affligente*, quondam legeram, vbi Auctor prae se fert, istam Medicis receptam & vsitatam sibi non
pro-

probari sententiam, qua idcirco ferunt hypochondrium laeuum dextro crebrius inflari inque tumorem surgere: quia colon intestinum, isto in latere sub costis spuris detortum, insignem proferret flexuram siue curuaturam, flatibus aut excrementis alui remorandis & includendis aptissimam. Quo nomine laudatus Auctor illo loco verbis tradit testatissimis, hanc coli inflexionem ideo sibi videri non satis esse ad hoc phaenomenon enodandum & dilucide ac perspicue expediendum, nisi forte subiungerentur aliae rationes maioris ponderis & momenti, quod colon intestinum in aduerso hypochondrio in similem flexuram actum deprehendatur. Sustinero igitur hac Dissertatione ea omnium oculis velut spectanda subiicere, quae MORGAGNIO addenda fuisse forte fuerint visa, si huius mali explicatio perfecta & omnibus suis numeris & partibus expleta esse dicatur, & quae procul dubio priores ferunt ac praecipuas in hoc symptomate enodatissime expediendo. Faxit diuinum Numen, vt hoc, quicquid literarum est, in medendi scientiae incrementum, aegrotorum salutem & sui ipsius cedat gloriam immortalem.

§. I.



§. I.

analem intestinorum, compluuium illud corporis humani, in quem non recrementa solum, cum chylo permixta, e ventriculo deuoluuntur; sed multifaria etiam alia liquida ex hepate, pancreate & cunctis uasis mesentericis se deriuant, compluribus subinde ac multiugis morbis implicari, historiarum & obseruationum medicarum monumenta loquuntur. Ex tanto autem numero morborum vix vllus alius intestinis frequentior esse magisque solennis deprehenditur, quam eorum *inflatio* seu *distensio*, a flatibus aut fecibus, in interioribus eorundem recessibus conclusis, retardatis, interceptis ibidemque fixis, nata, cuius tam acerbus identidem tamque tristis percipitur sensus, vt quo aegroti se vertant, aut vbi quoddam aegritudini suae leuamen reperiant, prae dolorum, quos persentiscunt, atrocitate nesciant.

§. II.

Quamquam vero tenuium intestinorum volumina & anfractus aequae ac crassorum huiusmodi flatibus, in interioribus eorum latebris & flexibus interclusis & detentis, praeter modum & naturam crebro subinde distendi, & vehementibus doloribus torqueri animaduertuntur: commemorabile tamen est & candidissimo calculo notandum, eiusmodi inflationes crassis intestinis, quam tenuibus, crebrius ac frequentius vsu venire. Argumento huius veritatis esse possunt illi homines, qui velut quotidie flatibus cruciantur, cuiusmodi, praeter ceteros, hypochondriaci & hyste-

frequentius finistrum, quam dextrum infestante. 9

hystericae obseruantur, quippe qui ut plurimum de insigni dolore tensiuo & fixo, in alterutro hypochondriorum potissimum haerente, illudque insigniter inflante, querimonias iactant. Etenim crassa intestina tenuioribus ad flatus fecesque, quae intus recondita fouent, vsquam intercludenda, remoranda, fistenda & figenda aptiora esse & accommodatiora, nemini non facile liquebit, eorum in abdomine situm, progressum, insignem capacitatem seu amplitudinem, cellulosam fabricam, glandulas, quibus intus obstita sunt, solitarias, mucum satis viscidum a sanguine secernentes, sanguinea eorum vasa, tum arteriosa, tum venosa, secundum eorum tractum fere παραδήλιος proserpentina, insignes illos & sinuosos flexus, quos diuersis locis fingunt, & contentorum denique spissitudinem, in duriuscula & compacta σκίβαλα subinde solidescentem, curatius altiusque inspecturo atque expensuro: quemadmodum hoc ex postea tradendis liquidius apparebit.

§. III.

Tametsi vero diserte perhibui, flatus in hominibus flatulentiae obnoxiiis, quales potissime hypochondriaci sunt & hystericae, plerumque in alterutro hypochondriorum generari, ibidemque suam sibi sedem figere: experientiae tamen fide & testimonio compertum est, flatuum prouentum in huiusmodi aegrotis, hypochondrio sinistro, quam dextro, longe frequentiore magisque solennem deprehendi, ita, ut laeuum hoc latus ab incarcerationis & in isto stabulantibus flatibus in tumorem, haud

B

insolenter fatis conspicuum & tactu valde durum, subinde distendatur. Nec abluunt nobis alii rei medicae obseruatores, qui itidem disertis testatum faciunt verbis, hypochondrium sinistrum crebrius saepiusque inflari & distendi, quam dextrum. E tanta testium nube, qui a nostris stant partibus quosque in fidem huius afferti vocare possumus, prodeat primus FERNELIVS, qui a), de signis flatuum agens, ita differit: *Quum autem ab his causis flatus multus in corpore congestus est, ventriculus & colon intestinum, sinistro praesertim hypochondrio, distenduntur & rugiunt, quasi ventis agitentur. Est enim colon praecipua sedes flatuum, quorum vi id nonnullis amplissime dilatatur.*

§. IV.

Alter huic succedens testis est ETTMÜLLERVS b), qui, *hypochondriacus dolor est iste, inquit, qui imprimis & frequentissime percipitur in hypochondrio sinistro, interdum, sed rarius, in hypochondrio dextro, idque sub costis notis; dolor acerbus est admodum portinax. qui communiter adscribitur lieni affecto. Et eodem Tomo p. 541. de malo hypochondriaco ita habet: Hinc abdomen saepe post assumta alimenta inflatur & ab his flatibus, praeter vagam intumescentiam abdominis, murmura, borborygmi, & in omnibus his copiosissimus nec unquam deficiens flatuum adest prouentus, quorum aeternitas in specie hypochondria, praesertim sinistrum, affligit. Nec abluat illis Vir illu-* stris

a) Lib. II. de Signis, Cap. XIX.

b) Opp. medic. theoret. pract. Part. II. de variis intestinorum doloribus, p. 182.

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. II

stris & doctissimus IVNCKERVS, similiter scribens, hypochondriacos tendentibus, prementibus & angustantibus doloribus, sub costis, maxime in latere sinistro, affligi. Praeterea testatissimis eodem loco tradit verbis: *Familia* (hypochondriacis) *symptoma est inflatio sinistri hypochondrii*, cetera. Accedit eidem testis locupletissimus Frid. HOFFMANNVS c), *frequentissimum etiam*, inquit, *hypochondriacorum symptoma est atrox colicus dolor, isque maxime occupat latera, & vel in dextro hypochondrio, maxime omnium vero in sinistro hypochondrio sub diaphragmate & liene, ob maximam coli flexuram, tensius consistit*. Ex quibus tantorum Virorum, de re medica optime promeritorum, suffragiis ac testimoniis iam clarissime nostrae asseritionis veritatem abunde apparituram existimem.

§. V.

Verum enim vero quantumuis inter omnes fere Medicos, tum veteres, tum recentiores, conueniat, hominibus flatulentis, inque primis hypochondriacis atque hysteris, eiusmodi inflationes euenire in sinistro, quam dextro, hypochondrio crebriores; non tamen est eorum omnium communis de parte in hypochondrio sinistro affecta, seu sede huius doloris, sententia. Veterum enim plurimi, a quibus nec recentiorum quidam dissentiunt, attribuerent non verentur hanc sinistri hypochondrii inflationem & distentionem lieni, ut quem sanguine

B 2

ultra

c) *Medicin. rational. Systemat.* Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. V. §. XXI.

ultra modum infarctum, aut etiam aliquando oppilatam, in eiusmodi tumorem, subinde satis conspicuum, distendi putant; recentioribus fere plerisque e contrario hanc hypochondrii inflationem, maiori & veriori iure, intestinorum flexibus, hac in regione obuiis, vindicantibus.

§. VI.

Sunt equidem complures, quibus persuasum, lienem, sanguinis vi & mole praeter modum & naturam inundatum, atque ita ultra, quam par est, distentum & distentum in eiusmodi tumorem, sinistro hypochondrio obuium & interdum palpabilem, surgere; vid. HOLLERIVS *Libr. I. de Morb. intern. Cap. XL.* p. 181. FERNELIVS *l. c. Libr. II. Cap. IX.* p. 406. At vero quam parum habeat haec eorum opinio argumenti, clarius patebit, splenis sedem & situm, quem in abdomine tenet, attentius perlustraturo. Namque hic in posteriore ventris infimi regione positus, & conuexa seu exteriori sua superficie costis spuriis ita oblique, vel, ut alii malunt, transuersim substratus spectatur, ut, quomocunque ultra modum expansus, inque conspectiorem molem distentus, nunquam extrorsum cedere atque exstare seu prominere queat, costis istis, quibus intectus est, eius inflationem atque exstantiam omnino prohibentibus, & lienis distentioni cedere plane recusantibus. Tum quum hoc visceris in homine, per ligamenta membranacea quidem, sed tamen satis valida, diaphragmati semper arctissime adnexum, longe secus atque in brutis, conspiciatur, mihi

expu-

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 13

exputare non licet, quomodo illud quoquoersum se porrigere & proferre valeat, nisi forte id de extremitate splenis anteriore duntaxat intellectum velint. Denique & illud inprimis memorabile existimo, lienem nullo acri atque exquisito, secundum naturam, sensu esse praeditum, ideoque omnis acerbioris & asperioris doloris, praeterquam obtusioris cuiusdam hebetiorisque, expertem. Quo igitur pacto sinistrae hypochondriacae regioni tantos subinde tamque acutos & grauissimos dolores & cruciatus conflare queat, quos tamen rei medicae obseruatores in hypochondriacis per saepe animaduertisse produunt, id mente comprehendere mihi non est integrum.

§. VII.

Plurima etiam obuia sunt in obseruatorum monumentis rerum testimonia, quibus luce meridiana clarius elucet, lienem in cadaueribus, variis grauibus morbis, velut diuturna melancholia, hypochondriaca passione aliisque id genus, extinctorum, infontem omnique labe prorsus immunem fuisse inuentum; tamen culpa in lienis oppilationem aut infarctum olim, quum adhuc in viuis essent, ab aliis Medicis perperam fuisset collata seu coniecta. SYLVIVS quippe *Disputat. medicar. V. §. VII.* de lienis & glandularum vsu restatum facit, se in cadauerum humanorum, ex variis generibus morborum defunctorum, longe vltra centum a se dissectorum, examine atque obseruatione, mirari, nullum viscus, si cor exceperis musculosum, minus offendi labefa-

Etatum ipso liene, in ipsis etiam melancholicis affectibus, perperam lieni male habenti vulgo adscriptis. Et ead. *Disput. §. XX.* itidem perhibet, in cadaueribus plurimorum melancholia diuturna & per complures annos perseverante emortuorum, se lienum deprehendisse intemeratum atque innoxium, neque inflatione quadam, nec induratione, nec obstructione vlla tentatum. Cui etiam **ETTMÜLLERVS** congruit, utpote qui similiter de dolore hypochondriaco, in sinistra potissimum regione fixo, tradit, eum communiter lieni grauiter affecto adscribi. *Vnde vulgo, ait, quicumque dolores in ista parte percepti mox habentur pro augurio affecti splenis; tamen, quum iste dolor sit ut plurimum punctorius, rodens & mordicans; lien vero eiusque parenchyma per se fere insensibile sit, adeoque vix, praeterquam grauatuum & obtusum dolorem, imprimis ex infarctu eius nimio enatum, vel saltem dolorem obscurissime tensionum, seu quasi distendentem, ex detenta eiusdem substantia membranacea, perpeti queat, facile patet: quod dictus dolor punctorius & terebrans non spleni, cum ineptissimus sit lien pro tali dolore, sed saltem colo, proprie conueniat. Vnde etiam his doloribus hypochondriacis tumor, nunc durus & tactui renitens in hypochondrio sinistro, nunc vero insignis istius hypochondrii intumescencia, tumor mollis & facile cedens, nullo modo spleni, sed simpliciter intestinis, sub hypochondriis incuruatis, in specie colo, hinc & ileo, proprius erit; cum lien in profundo situs nullo modo contingi queat. Libr. supra citat. p. 182. Et p. sequente, vbi pariter de hypochondriaco dis-*
serit

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 15

ferit dolore, ita inquit: *Falsum ergo est, hunc dolorem esse in splene, utpote qui per se ineptus est istiusmodi dolori.* Congruit hisce etiam b. *Frider. HOFFMAN-
NVS*, quippe qui perspicuis verbis ita docet: *Nam licet nonnulli inter haec & nervosas partes & lienem atque hepar consensionem adstruant, & potissimum ad pathemata in malo hypochondriaco, sub quo labes & vitium plerumque in sanguineis hisce visceribus consistit, conspicua prouocent, ambo tamen, hepar & lien, praesertim humanus, partes, ut luculenter iniectionibus suis cl. RYVSCHIVS demonstravit, sunt fere totae vasculosae, ex innumeris quippe vasis, maioribus, minoribus & minimis, contextae, sensus plane expertes, ut hinc saepe sine acuti doloris perceptione intumesce-
re, ac etiam in magnam molem augeri possint &c.* *Medicin. rational. system. Tom. III. Sect. I. Cap. V. §. XXXVIII.* Et eadem Sectione, Cap. VII. §. LVII. *Frequentius vero contingit, perhibet, ut tantummodo partes quaedam intestini, praesertim coli, statu dolorifice diducantur, quod circa hypochondria utraque saepissime obuium, quia colon ibi in flexuras curuatur, quae impediunt, quo minus & flatus & alia contenta promte transeant, sed stagnent. Familiarissime id in hypochondriacis euenit, & perperam dolor ille tensiuus sinistri lateris pro tumore & inflatione lienis a Medicis anatomes ignaris habetur, eo quod lien in homine non in hypochondrio, sed in dorso, sub diaphragmate situm obtinet, &c.* Confer. etiam *SALMVTHVS Centur. I. Obseruat. 24.* item *HILDANVS Centur. I. Obseruat. 58.*

§. VIII.

§. VIII.

Ex his ergo iam in medium adductis clarissime censeam appariturum, quam fallantur & hallucinentur, qui istam acerbissime dolentem, quae sinistro hypochondrio omnium creberrime insidet, inflationem lieni comminiscuntur & asserunt, ipsa visceris huius natura & *δυσαιδης*, seu sensus hebetudine, huic assertioni reclamante, & experientia tot tantorumque luculentissimorum rei medicae scriptorum eandem refragante. Iustiore igitur ratione & maiore veritate, sensuum fide & testimonio subnixi, plerique fere omnes medentium tumorem istum in alterutro hypochondriorum, inprimis sinistro, conspicuum, insignibus illis flexuris seu curvaturis intestini coli, quae hisce in abdominis regionibus sitae conspiciuntur, vindicant, communi velut omnium consensu statuentes, eum laevae, quam dextrae flexurae venire multo frequentiore. SYLVIVS quidem, *Prax. medic. Libr. I. Cap. XIV. §. V.* hunc acriter dolentem hypochondriorum tumorem tenuibus intestinis assignatum vult, *intestini tenuis pars*, inquit, *huic proxima, & in hypochondrio sinistro a lumbis mesenterioque exsurgens, lancinationibus frequenter ac distensionibus, cum notabili ac permanente quandoque duritie, affligitur; quamvis tunc lieni fere, licet perperam, illud malum & dolor vulgo adscribatur, &c.* Et paulo post §. VI. ita pergit: *Dolorem autem istum, si nomen quouis praecipit vacuam illi foret a me imponendum, appellarem ego a loco affecto hypochondriacum.*

§. IX.

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 17

§. IX.

Neque multum ab eo dissidet ETTMÜLLERVS, pariter *Libr. citat. pag. 182.* haud obscure ita prodens: *Dolor ergo hicce punctorius & terebrans acerbissimus, in hypochondrio sinistro obseruabilis, frequentissime situs est in intestinis, partim quidem in intestino ieiuno, partim vero, & quidem vtplurimum, in intestino colo, quod in vtroque hypochondrio curuatura facit angulum satis acutum.* At vero tenuia intestina quo pacto ad hypochondriorum regiones pertingere, easdemque praeter modum inflare queant, intestino colo tenuia circumdante & vtramque hypochondriacam regionem occupante, id perspicere mihi non licet. Quodsi etiam demus, quasdam ieiuni circumuolutiones ad dictas pertinere regiones; non tamen vnquam vlla sufficiens proferri ratio poterit, cur potissime isti eius anfractus & gyri, qui hypochondria vtrouique attingere feruntur & scribuntur, prae ceteris eiusdem intestini flexibus, longe vberiori flatuum prouentui & copiae solummodo expositi, atque his intercipiendis & intercludendis aptiores deprehendantur & opportuniores? Quid? quod cur ileon, cuius sinuosi gyri & flexus multo frequentiores obseruantur, & ad flatum morandos & intra se cohibendos longe faciliores expeditioresque in hypochondriacis, non aequae frequenter atque adeo longe frequentius, flatuum vi ac mole inflentur inque acerbe dolentes distendantur tumores, praesertim quum neruea ilei tunica acriori sensu, quam ieiuni, esse animaduertatur instructa? cetera, quae huic sententiae de ieiuni inflatione,

C

tione, tumoris hypochondriorum effeetrice, aduerfantur, de industria tacitus praetereo; quod vnicuique, huius intestini situm & capacitatem attentius perlustranti, in procliui erit perspicere, quam infirmis & ficulneis haec opinio nitatur argumentis. Nulli igitur dubitamus illorum partibus nos miscere, qui inflationis seu tumoris hypochondriorum culpam & causam in istos insignes coniiciunt gyros vel, si magis arriserit, orbes, in quos colon torqueatur, iter suum per vtraque faciens hypochondria, vt qui fecibus ac flatibus praepediendis, retardandis & detinendis peropportuni conspiciuntur & accommodatissimi.

§. X.

Tametsi vero recentiorum excellentissimi & medica in arte exercitatissimi hasce coli curuaturas, quae sub hypochondriis abditae haerent, iustiore & veriore ratione, genuinam doloris & tumoris istius, in alterutro hypochondriorum obuui & subinde fatis conspicui, causam ac fomitem declararunt, vt quae flatibus fecibusue, intus conclusis, extra modum inflatae ac dispanfae, incumbentibus hypochondriis vim inferunt, iis foras vrgendis inque altum vtrunque tollendis, & hoc pacto in tumorem quendam, plus minusue obseruabilem, distendendis: tamen inde non satis liquet nec explicari potest, quid causae sit, cur eiusmodi dolentes inflationes hypochondriorum sinistro, quam dextro in crebrius vfitatiusque eueniant? quia colon dextro in hypochondrio perinde atque in sinistro, insigni & spe-

spectabili quadam curuatura inflectitur. Hinc quoque est, cur iam MORGAGNVS, hac a Medicis allata ratione seu causa, de frequentiore sinistri, quam dextri hypochondrii in flatulentis distensione, nequaquam acquieuerit, disertissime planissimeque scribens d): *Quod tamen non ita accipi velim, quasi negarem, colon, priusquam in rectum desinat, ad angulum inflecti. Ita enim ibi, & praeterea in hypochondrio dextro inflecti, scio, ut mirer, cur plures Medici recentiores hypochondriacum illum dolorem, cuius sedem vulgus in liene solet comminisci, ideo in proximo colo esse doceant, quod hoc in sinistro hypochondrio inflexum, facile propterea recrementa, aut flatus eo in loco morentur; nisi enim alia addantur, cum inflexio coli in duobus praeterea locis contingat, non satis intelligitur, quare is dolor sinistrum potissimum hypochondrium frequentissime afficiat.*

§. XI.

Quapropter, quo clarius euidentiusque appareat, quam ob rem laevae coli flexurae, quam eius dextrae, crebrius vsitatiusque obtingant inflationes ac distentiones, ab retrimentis flatibusue intus congestis & interclusis enatae; non abs re erit nec ab instituto alienum, veram & germanam coli intestini faciem & meatum, quo per abdominis fertur abdita, Lectoris oculis spectandum & arbitrandum obicere, quippe quibus perspectis & cognitis, vix vilius erit negotii indidem intelligere, quare excrementa aut feces sinistram coli curuaturam saepius

C 2

d) *Aduersar. anatomic. III. Animaduers. V.*

expeditiusque, quam dextram, inuadant atque infideant.

§. XII.

Est vero notatu dignissimum, coli non binas, sed *quaternas*, admodum spectabiles nec sane immemorabiles, esse *flexuras* seu *curuaturas*, certis neque adeo exiguis interuallis satis disiunctas, quarum magna est habitas & procliuitas ad ventris sordes aut flatus identidem tardandos, retinendos & penitus sistendos. Colon igitur hoc exordium capit ab intestino coeco, in dextra ilium regione, circa marginem ossis ilium superiorem & anteriorem prope modum sito, vnde recta sursum contendens & ad renem pertingens dextrum, cui per validum quoddam ligamentum membranaceum spectatur adnexum, iter suum, ad hypochondriorum dextrum pergendo, per iecinoris caua obrepit, vbi sub hepate primum, ad angulum plerumque rectum, inflectitur, & incumbenti felleae vesiculae, vt & subiacenti duodeno, per vincula membranacea solenniter illigatur. Quantumuis vero primus hic coli flexus vtplurimum angulo recto fiat, ipsa in cadaueribus humanis *euertitur* illud ita deprehendente & comprobante: non tamen perrarum neque insolens est, hoc intestinum, in hoc dextro etiam hypochondrio, interdum annuli in modum inflexum inque orbem quendam intortum offendi; in cuius rei fidem citare mihi testem integerrimum liceat *EUSTACHIUM*, qui *Tabul. X. Figur. IV. & V. Lit. E. F.* hasce coli flexuras haudquaquam ruditer adumbratas, sed elegan-

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 21

elegantissime expressas dedit, inde ut variatio illa, qua subinde natura in partibus humani corporis effingendis, fabricandis atque excudendis uti consuevit, clarius pateret. Deprehendes idcirco *Figur. V.* hanc flexuram seu curuaturam coli eamque dextram, venustissime in orbem quempiam siue circum contortam, itidem ut alteram eiusdem huius intestini, quae sinistro in hypochondrio obuia est, orbis in modum subinde flexam ibidem conspicis. *Figura* autem *II. & IV.* reperies eandem hanc dextram coli inflexionem, angulo recto similem.

§. XIII.

Colon itaque, postquam dextro in hypochondrio, vel ad angulum rectum fuerit inflexum, (id quod vsitatus crebriusque notatur,) vel in annuli seu orbis speciem incuruatum, (quod multo infolentius obseruatur,) indidem sub ventriculo transuersum ad sinistrum fertur hypochondrium, ubi denovo, pari ratione ac de dextro iam constat, anguli recti in formam curuatur; haud raro etiam, imo longe saepius, quam in dextra hypochondriaca regione, in orbem sinuatur. Conf. *EVSTACHIVS Tabul. cit. & Figur. adduct. Lit. F.* Curuatura haec sinistra similiter ac dextra, utique satis spectabilis & commemorabilis, internae lienis superficiei accumbit. Colon idcirco ab hac flexura deorsum pergens, & sinistrum renem stringens, inferiori huius extremitati pari modo, ac de rene dextro dictum est, membranaceo quodam ligamento connectitur. Quod vero omnium praecipue potissimeque huc

obseruandum venit & memoria probe tenendum, est hoc, quod colon, vbi sinistro reni cohaeret, vsque adeo angustatur & in arctum cogitur, vt memorabilem istam eius angustiam contemplaturus sane iuraret, colon hoc, qua parte laeuo reni assidet, haudquaquam numero crassorum intestinorum esse habendum, sed in censum tenuium potius deferendum. Quid? quod quum *κόλον* toto suo, quod per abdominis regiones conficit, itinere plurimis quasi cellulis intus discretum siue distinctum deprehendatur, notatu dignissimum est, illud, qua reni sinistro cohaeret, non multo angustius solum, sed etiam fatis laeue conspici.

§. XIV.

Singularem vero hanc & notabilem coli angustiam, in quam sinistra eius flexura illico cogitur, simul atque ad inferiorem renis adspirauerit extremitatem, omni iure ac merito in numerum causarum dolentis istius tumoris, qui hypochondrium laeuum tam crebro infestat, effectricium esse potissime aggregandam, ex infra dicendis clarius elucebit. Sed vt redeam ad id, quod mihi hoc loco exponendum proposueram, cetera, quae de coli sub sinistris ilibus reptatu explicanda restant, nunc exsequi pergam. Colon igitur, rene sinistro relicto & recuperata pristina sua amplitudine descendens, cursum suum ad vertebrae desceat, & circa peluim aut ilium os rursus binas insignes flexuras offert spectandas e), quae vtraeque, quum ad similitudi-

e) Vid. EYSTACHII Tabul. X. Figur. IV. & V. Lit. I. & K.

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 23

nem litterae maiusculae Romanae S. accedant, propterea ^{κατ' ἐξοχὴν} nomine, vtriusque communi, *flexurae sigmoideae* cieri solent; vid. HEISTERI *Compend. anatom.* Haec curvatura *σφυμοειδής*, quae maximi est momenti ad plurima in pathologicis, multis obscuritatibus & tenebris etiamnum inuoluta, dilucidius expedienda, neutiquam vna & simplex, sed gemina seu duplex existit, quemadmodum id cuius patebit, icones istas, ex *Tabulis anatom. EVSTACHII* aliquoties a nobis iam in medium prolatas, contemplaturo, quarum vnaquaeque angulo acutissimo facta notatur. Nec quicquam dubii est, quin vltimi hi bini flexus coli, & flatibus, & fecibus, quae per interiores eorum recessus lentissime voluntur, plurimam moram & impedimentum sint iniecturi, ita vt sensim pedetentimque heic aggestae & cumulatae consistant, hocque pacto reliquis merdis, a tergo huc subsequuturis, iter praecludant. Vnde haud mirum, mali huius vim persaepe ad hypochondria, praefertim ad sinistrum, vtpote quod ab hisce flexibus sigmoideis propius abest, redundare eidemque huiusmodi inflationes & cruciatus inferre.

§. XV.

Ab vltima tandem hac sigmoidea inflexione exordium suum ducit illud, *rectum* quod vocari solet, nec quicquam aliud est, praeterquam commemoratae postremae flexurae tubus continuatus, qui recta excurrit, & circa vltimam lumborum vertebram ad os sacrum reclinatus, deuoluitur in peluim, vbi in ano terminatur. Ecce hic tibi totius coli

coli tractum cum suis quatuor eximiis flexibus, siue curuaturis, breuiter quidem, sed scopo nostro sufficienter explanatum; hisce enim acri iudicio perpensis & ad verum rite exactis, omnium maxime si illos sanguineos riuos, qui mesocolon irrigant & colo intestino alluentes de sanguine prospiciunt, simul altius inspexeris, non neglectis ceteris causis, quae coli inflationibus ansam prebere valent, non multi laboris erit & sudoris, planius magisque perspicue expedire rationem, cur dolores hominibus flatulentis, hypochondriorum sinistrum, quam dextrum, saepius vsitatusque percipiant? Quo circa id nunc mihi negotium dari sentio, vt illa quoque *vasa sanguinea*, quae toti crassorum intestinorum tractui suos surculos inserunt frequentissime, hoc loco enodatus explicata tradam, ne quid videar praetermississe, quod non oportuit omitti, & haud minus momenti habeat ad nostrum *Φαινόμενον* dilucide expediendum, quam quae de colo eiusque flexibus supra iam tradita leguntur.

§. XVI.

Quod itaque ad *vasa sanguifera* attinet, quae *mesocolo* atque annexis ei *crassis intestinis* distribuuntur, non male mihi videor acturus, ordinis ratione praesertim id ita exigente, si *arterias* primum, quanta fieri poterit maxima breuitate, hoc loco descriptas tradam; potissimum quum penitior earum cognitio sinistri hypochondrii, praec dextro, inflationi plurimum lucis afferat. Enascuntur vero vasorum rami, qui se per mesocolon ad crassa diffundunt

dunt intestina, praecipue ex superiore & inferiore arteriis mesentericis. Superior enim mesenterica, ex aortae descendente trunco emergens, & sub pancreate ac supra duodenum intestinum ad mesenterium decurrens, intra binas huius laminas se recondit, ubi cursu paulum obliquo, a sinistra ad dextram declinato, pederentim arcus cuiusdam in modum inflectitur, cuius de conuexo margine complures rami per mesaraeum ad intestina maxime tenuia sparguntur, qui quomodo & quam affabre in alios deinceps minores ramos diuisi, alius alii, implicentur & coeant velutique innumerabiles propemodum orbis, adspectu certe mirabiles & iucundissimos, faciant, id heic fusc lateque explicare nihil attinet, ne ea hoc loco aggeramus, quae alii latius sunt prosequuti. Qui vero rami ex aduersa seu cava eiusdem superioris mesentericae superficie siue margine se diffundunt & conspectiores existunt, illi multo quidem pauciores, sed conspectiores deprehenduntur. *Primus* enim eorum *ramus*, qui omnium maxime attendendus & memori pectore notandus est, cuius vel Anatomes peritissimi atque exercitissimi, si ab recentissimis quibusdam discesseris, suis in monumentis nusquam meminerunt, ante in duos insignes alios ramos explicatur, quam se in dextrum mesocolon immergit, quorum inferior & minor, secundum longitudinem istius partis coli, quod dextris ilibus subiectum spectatur, derepit: quo itinere quam plurimas propagines a se dimissas in dextri huius coli tunicas spargit & disseminat.

§. XVII.

Alter seu *secundus* vero eiusdem nunc commemoratae diuisionis *ramus*, qui maior est & conspectior, in altitudinem elatus & sinistrorsum declinatus, mesocolon transuersum intrando, fidum se comitem isti colo adiungit, quod transuerso tractu per epigastrium, sub ventriculo, ad sinistram perferitur hypochondrium, vbi hic ramus cum alio quodam ramo, ab arteria mesenterica inferiore enato, mutua anastomosi coniungitur. Quae ita inter se commissae, inque vnum vtriusque mesentericae arteriae communem ramum coeuntes propagines, velut insignem quendam orbem siue, si magis placuerit, arcum arteriosum constituunt, qui cum vniuerso propemodum colo, si a dextra eius parte discesseris, eandem perpetuam pergit viam vsque eo loci, vbi mesenterica inferior sinistro se mesocolo infert, quemadmodum id ex dicendis luculentius apparebit. Hic conspicuus superioris mesentericae ramus, qui in totum colon transuersum innumerabiles ramulos diffundit, WINSLOVIO videtur nomine *arteriae colicae superioris* esse appellandus, vt e contrario iste ramus, qui a mesenterica inferiore in sinistram mesocoli alam propagatur, quemque cum priori, modo nominata & sibi obuiam eunte, in vnum communem eumque arcuatum ramum coalescere perhibui, eidem Auctori nomine *colicae sinistrae* ciendus putatur.

§. XVIII.

Vt vero illi quoque sanguinis riui, qui colon fini-

frequentius finiftrum, quam dextrum infefante. 27

strum rigant, nobis liquidius pernotefcant, ipfi *arteriae mefentericae inferiori* curatius contemplandae nos accingamus. Ducunt quippe illi fuam ab hac mefenterica inferiore originem, vtpote quae itidem a trunco aortae descendens, non longe ab huius bipartita in iliacos ramos diuifione, prodiens, in tres fpectatoris magnitudinis fatifcit ramos, quorum primus & fupremus, finiftrum mefocolon ingreffus, ipfi colo, laeuis in ilibus obuio, fe focium aggregat, & fublimis fertur. Vbi fecundam coli flexuram, in finiftro hypochondrio confpicuam, attingit, ftatim a latere finiftro in dextrum detortus, infigni ifti ramo, a fuperiore mefenterica orto, fibique in transuerfo colo occurrente, inolefcit atque illum quam maxime memorabilem, cuius mentio fupra facta eft, arteriofum arcum progignit. Tota hac via, qua colon finiftrum affectatur, illud mira ramulorum ex fe diffuforum copia locupletat. Tanto pluris autem interefse cenfemus fingularem hunc ramum, quo mefentericae fuperiori cum mefenterica inferiore artiffimus intercedit nexus, accuratius intelligi & animo fixum teneri, quanto plus luminis multis phaenomenis, in Pathologia obuifis, & etiamnum explicatu difficillimis ac magna obfcuritate inuolutis, altius infpiciendis penitusque intelligendis adhibet, & quo altiori fentio, non dicam maiores, fed plerique pofteri, hunc commemorandum ramum in fuis monumentis, de re anatomica nobis relictis, tranfeunt. E recentiffimis igitur rei anatomicae Scriptoribus WINSLOVIVS eum in adfpectum lucemque primus protulit; vid. *Tomi allegat.*

allegat. §. 204. & 209. & de *bas ventre* §. 232. & *seqq.* quem deinde alii sunt consequuti, quorum numero est GARENGEOT, qui *Splanchnologiae* suae *Part. II. Cap. V.* singularem istum ramum peculiari icone exprimendum curavit, quo delegabimus, cuius interest veram eius faciem, circuitum & orbem, quem conficit, oculis vsurpare.

§. XIX.

Vltimus & *infimus*, quem inferior arteria mesenterica de se in mesocolon spargit, *ramus*, qui colo sinistro comes haeret, ad eius inferiora deuoluitur, vbi innumeros binis vltimis flexibus sigmoidis inserit furculos, aliamque praeterea peculiarem ex se diffundit propaginem, valde conspicuam, *arteriae haemorrhoidalis internae* nomine satis cognitam, quae in infinitae multitudinis ramulos distissa, ad rectum decurrit intestinum, cui commemoratos ramusculos impertit. De medio, quem eadem haec inferior mesenterica ex se generat, ramo, quum nihil praecipui habeat, sed bipartito diremtus, altero furculo sublimis abeat & primo ramo (§. XVIII.) coalescat; altero autem deorsum contendat, non est, cur pluribus verbis in expediendo illo hic commoremur.

§. XX.

Perspectis itaque & cognitis arteriis, ipsa rerum series nos iam arcessit ad ista vasa consideranda, quae sanguineos latices a colo receptos in portarum venam referunt, ne quid, quod ad nostrarum institutum pertineat, desideretur. Cunctae autem
venae,

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 29

venae, quae cruorem ex mesocolo reuoluunt, eum aut *venae mesentericae maiori*, aut *mesentericae minori*, *apertos* refundunt: vnde operae pretium erit, prioris *venae*, quae alias simpliciter ab Anatomicorum filiis *venae mesentericae* nomen obtinet, propagines quam breuissime exponere. *Mesenterica* igitur *maior* vel, si mauis, *superior*, (conf. EVSTACHII *Tabul. XXVII. Figur. II. & IV. Lit. d. d.*) quae non tam ramus, quam continuatus *venae portae* truncus potius censendus est, ex suo caudice prius insignem quandam ramum progignit, quam arteriae *mesentericae superiori* se adiungit comitem, qui *RIOLANO vena colica* dicitur; quia vsque ad medium colon progressa, ibi in duo dispescitur ramos, quorum alter ad dextram detortus in colon dextrum effertur, altero ad sinistram deflexo, (qui mesocolo transuerso se infert,) ad colon huic annexum abeunte, & cum superiore seu ascendente isto *venae haemorrhoidalis* ramo, de quo postea dicetur, in vnum mutua anastomosi coeunte. Praeter hunc ramum ipse *mesentericae superioris* truncus insuper aliam ex se propaginem exprimit, cui nomen est *gastrocolica*, quae in binos ramos dispersa, diuersas in regiones fertur. Superior enim, ad ventriculum delatus, *venam gastro-epiploicam dextram* profert: inferior autem *gastro-colicae* ramus, quum ad dexteram coli intestini partem pergat, haud iniuste nec illepide, *vena colica dextra* WINSLOVIO nominatur, quae non in varios modo arcus contorquetur, sed cum ipsa etiam *colica* per ramum quandam connectitur. De ceteris *venae mesentericae superioris*

propagationibus, mesaraeo quae prospiciunt, quomodo in arcus contortae vltro citroque implicentur & tenuibus intestinis inferantur, nihil hoc loco dicere attinet.

§. XXI.

Altera proinde vena, quam *mesentericam minorem* seu *inferiorem* vel, nomine notiori ac vulgari, *internam* appellari *haemorrhoidalem*, prodidimus, mesenterium ingressa in binos, haud sane exiguos, distrahitur ramos, alterum, qui sublimis fertur, & ascendens seu superior audit: alterum, qui deorsum contendit, & descendens siue inferior vsurpatur. Prior ramus ascendens, per mesocolon transversum, ad illam coli partem, quae ei adhaerescit, se proripere cernitur, vbi multis riuus, vt ita dicere aulim, dissectus, omnem fere transversum huius coli tractum irrigat; quid? quod ex ipso hoc superiori ramo peculiaris quaedam & speciosa propago profertur, cui cum alio conspicuo quodam ramo, a vena colica prodeunte, mutuis istis orificiis nexus tam arctissimus intercedit, vt cruori aditus ex altera in alteram pateat expeditissimus (§. XX.). Confer. EVSTACHII *Tabul. XXVII. Fig. II. & IV. lit. C.* vbi istam huius venae haemorrhoidalis cum vena mesenterica superiore coniunctionem haud sane obscure perspicies. Cetera, quae hoc de ramo in medium adduci possent, qua scilicet ratione venae etiam gastro-epiploicae sinistrae sit arctissime innexus, gratae breuitatis studens data opera omittam. Posterior vero huius venae mesocolicae,

frequentius finistrum, quam dextrum infestante. 31

cae, seu haemorrhoidalis internae ramus, qui inferior seu descendens nominari supra proditus est, secundum coli sinistri longitudinem, cui comes perpetuus affidet, deorsum pergat, binis ultimis eius curvaturis icidem comitandis vsque ad recti intestini exitum. Ab arcibus illis frequentissimis, in quos utriusque dicti venae haemorrhoidalis rami flexi aduertuntur, velut a communi fonte abundantissimi riuuli, ut ita dicam, in colon transuersum, finistrum & rectum intestinum, tanquam a trunco arboris radices, aguntur. Videas itaque praecipuos fontes, a quibus sanguinei riuuli ad intestina crassa eorumque flexuras deducuntur, paucis quidem, sed nostro proposito conuenienter explicatos; quibus ita, ut par aequumque fuit, perspectis & cognitis, opportunum quoque iam erit ad ipsam rem ingredi, quam hoc loco enodandam suscepi.

§. XXII.

Quum iam in eo sit, ut paulo exactius sententiam statuentium, solum istum coli flexum, in sinistro hypochondrio obuium, in causa esse & culpa, quam ob rem memoratum hypochondrium dextro crebrius saepiusque flatibus & doloribus torqueatur, expensuri simus; ipsius coli fabricam, quoad quidem instituti ratio & necessitas exposcercit, dicendis existimaui praestruendam, quo liquidius postmodum inde appareat, quibus ea argumentis nitatur, & quatenus veritati conueniat dissideatur. Supra enim iam prodidimus, plerosque medentium, vel doctissimos quosque & medendi vsu atque exercitatio-

citatione praeclarissimos, persuasum habere, finistrum hypochondrium ideo potissime grauiissimo cruciatu & inflatione, prae dextro, tentari, quod coli tractus, hac in regione inflexus inque alium cursum contortus, atque in arctius seu angustius circa renem compulsus, exportandis expurgandisque fecibus aut flatibus obicem ponat & viam obstruat; quae ita, descensu suo per hanc angustiam & exitu prohibita, in ea morando, stagnando, subsistendo, & paulatino aggestu accrescendo, flexurae coli, finistro hypochondrio circumscriptae, vim inferant, ea praeter modum extendendo inque latum maius dilatando.

§. XXIII.

Verum equidem est & obseruationum fide, ut iam supra significauimus, restatissimum, hypochondriorum finistro, quam dextro, frequentiores obseruari ac familiariores inflationes distentionesque; nec veritati alienum, in ipsa ista coli intestini, laeua hoc in latere a conspectu nostro obliquescente, curuatura, alui recrementa aut flatus multo saepius crebriusque colligi, aggeri, detineri & concludi, quam in opposita eiusdem intestini flexura, ipsa experientia loquente, & compluribus Viris, doctrina & scientia artis nostrae principibus, illud suis monumentis ita memoriae prodentibus: an vero haec sinistra coli inflexio vna & sola causa sit putanda & declaranda, quam ob rem flatuum & alui sordium prouentus atque interclusio ei frequentior crebriorque, quam dextro coli flexui, vsu veniat, ut plerisque medentium visum est, id mihi non persuaderi patiar; multis

multis nec sane leuis momenti argumentis hanc eorum sententiam infirmantibus & conuellentibus. Quodsi enim laeua coli flexura, quae consimili fere ratione in omnium mortalium colo fabricata conspicitur, vna & sola in causa & culpa foret, cur alui proluuies in ea frequentius atque vtitatius, quam in dextra coli curuatione, stagnaret & subsisteret; necessario sequeretur, vt huiusmodi inflatio sinistri hypochondrii omnibus propemodum mortalibus, ceteroquin sanis & optima valetudine fruuentibus, si modo istiusmodi esculentis aut potulentis, quorum maxima est ad flatum generandos procliuitas, sese ingurgitassent, praesertim aluo ipsis vel omnino a ficcis & induratis scybalis obstructa, vel certe nimio tardius pigriusque munus suum exsequente, aequae crebro, atque hypochondriacis, hysteriacis aliisque id genus, euentura esset.

§. XXIV.

Tum non apparet ex sola hac coli flexura sinistra, cur flatum aut feces non aequae frequenter & saepe in dextro coli flexu moram neccant & consistant, atque in sinistro, quum tamen vtrarumque harum coli curuaturarum tanta sit similitudo, vt nec ouo ouum similius esse possit. Quo etiam nomine haec ratio, de sinistro coli intestini curuamine deprompta, quam Medici afferunt, demonstraturi, cur dextro hypochondrio, quam sinistro, inflationes veniant minus frequentes atque insolentiores, MORGAGNO iam diu ficulnea est visa atque adeo leuissima, vt iam supra ostensum est. Quid? quod

E

quum

quum flatus aut recrementa ideo sub hypochondriis, praecipue sinistro, morari & consistere ferantur, quod colon in utraque hac regione circumagitur inque orbes torquetur satis insignes, alui fecibus aut flatibus remorandis, intercludendis & ibidem figendis aptissimos & perquam opportunos; non satis causae apparet, quare alui retrimenta haud aeque facile & prompte in tenuium intestinorum, imprimis ilei flexibus seu curvaturis, moram trahant pedemque figant, potissime quum tenuia intestina in longe plures flexuosos agantur gyros & anfractus, quam crassa. Atque haec quoque causa ETTMÜLLERO & SYLVIO fuisse videtur praecipua, quam ob rem istas hypochondrii imprimis sinistri inflationes, de quibus omnium praecipue hypochondriaci & haemorrhoidarii conqueruntur & lamentantur, non solis istis coli flexuris attributas voluerint & adscriptas, sed etiam illis tenuium intestinorum partibus, quas ad hypochondrium sinistrum porrigi tradunt, vindicatas cupiuerint. Conf. SYLVIVS, *Prax. medic. Libr. I. Cap. XIV. §. 5.* & ETTMÜLLERVS *Libr. citat. p. 182.*

§. XXV.

Deinde nec vna & sola ista coli intestini curvatura, quam laeua in hypochondrio profert, ad inferiora deflexum, vnquam mihi videtur suffectura ad illum nodum expediendum, nisi forte alia maioris ponderis & momenti adiciantur, quid sit causae, cur eiusmodi sinistri subter costas spurias lateris inflationes & dolores, omnium potissime & frequentissime,

tissime, hypochondriacis, &, qui eis propinqua sunt cognatione coniuncti, haemorrhoidariis, oriantur & proueniant; minime vero aegrotis aliis, alias easque multifarias ob causas, velut simplici alui obstructione & retentione flatuum subinde grauiter & crebro affectis, aequae solenniter & consuete contingat? Etenim vulgari experientia in comperto est, dari, qui haud insolenter admodum tarde pigreque alium deiiciunt, vel quod sufficienti potu & corporis motu carent, ideoque duras resiccatasque feces in intestinorum sentina fouent reconditas; vel quod ex aliis causis & praua flatu aut alui cohibendae consuetudine sibi istiusmodi segnem & tardam alui deiectionem contraxerunt, non tamen villo inflationis aut doloris indicio & sensu, in alterutro hypochondriorum, vnquam apparente ipsisque percepto; quemadmodum hoc compluribus exemplis testatissimum facere possem, si vsus esset & instituti ferret ratio. Videas itaque, quam frustra sint, qui habent persuasissimum; ex vna hac & sola intestini colli flexura, in quam agitur, sub sinistro hypochondrio ad inferiora deuolutum, optimam reddi rationem posse, quam ob rem hypochondrium sinistrum, quam dextrum, saepius frequentiusque, in hypochondriacis, a flatibus fecibusue, copiosius in ea congestis & cumulatis, infletur, atque in tumorem subinde, valde molestum & doloribus stipatum asperrimis, extendatur; nulla habita ratione eorum, a quibus tamen maximum frequentioris huius inflationis pendet momentum, &, quibus neglectis &

nihili pensis, non sane vnquam eius vera causa pernotescet.

§. XXVI.

Sed fortasse quispiam obiiceret, sinistram coli inflexionem, dextra eius curuatura, ideo longe esse appositorem ad flatus aut feces retardandas, intercipiendas & includendas, quia illud ei praeter alias coli flexuras praecipuum est, quod, prope oram renis sinistri descendens, statim ex capacitate ampla & spatiosa in angustum contrahitur seu cogitur alueum, speciem intestini cuiusdam tenuis praese ferentem, in quo excrementa duriora & sicciora haud aegre moram trahere & obhaerere possent, quae ita, interioribus huius angustiae recessibus impacta ibidemque fixa, ceteris a tergo succedentibus, vel flatibus, vel fecibus, pessulum obderent viamque praeccluderent, vel certe impedimenta iniicerent, quo minus hac transire & ad recti intestini exitum pergere quirent. Hinc minime mirum esse, alui contenta, in laeuo hoc coli flexu seu curuamine sensim pedetentimque aggesta & cumulata, hanc flexuram praeter modum in amplitudinem dilatate insigniorem, hocque pacto sinistrum hypochondrium, sibi incumbens, iusto vehementius vrgere inque tumorem conspicuum eleuare. Iam vero quum hypochondriacis vt plurimum aluus esse obseruetur adstricta & clausa, inde luculenter apparere, cur inflexa haec coli pars, flatuum aut fecum vi & mole obruta, crebrius ac frequentius dispandatur, quam eiusdem intestini curuatura, dextro hypochondrio subiecta.

§. XXVII.

frequentius sinistrum, quam dextrum infistente. 37

§. XXVII.

Verum enim vero tametsi haud equidem abnuero, sed ipse suscipio, *peculiarem* istam *coli*, quae parte reni vicinum & alligatum est, *angustiam*, quae sinistram curvaturam excipit, omnino maximi momenti esse ad multa, quorum difficilior multo & obscurior alias foret explicatio, dilucide & perspicue expedienda, atque eam utique simul cum aliis in numero istarum causarum habendam, quae multum ad huius curvaturae inflationem & distentionem conferunt: tantum tamen abest, ut hanc notabilem coli intestini coarctationem unam, solam ac praecipuam seu effectricem huius inflationis, quae coli flexurae sinistro in latere familiaris est, causam existimem esse declarandam, ut eam potius in censum remotarum causarum esse deferendam putem, quippe quae flatibus aluique sordibus tantummodo sternit viam facilius in hac flexura coli obhaerendi & subsistendi, accedentibus istis causis, eorum facilem expeditumque per hanc coli angustiam transitum & descensum utcumque intercludentibus. Hinc sua opinione vehementer falluntur, qui idcirco solum & duntaxat sinistro, quam dextro, coli anfractu inflationes & distentiones venire statuunt frequentiores; quod laeva huius intestini flexio, deorsum pergens, extemplo subtus in arctum & angustum cogatur, ubi flatibus & fecibus locus commorandi & consistendi esset expeditissimus. Quot enim quantisque difficultatibus illa theoria, quae crebriorem sinistri hypochondrii, prae dextro, inflationem coli flexibus duntaxat acceptam refert,

fert, obstructa est; tot etiam tantisque haec, quae, praeter istas coli curuaturas, hanc insuper angustiam in subsidium vocat, implicita deprehenditur. Quocirca cuncta ista, quae huic sententiae aduersum tenent & ante copiose dicta sunt, heic repetere supersedeo, ne in iis proferendis, quae ibi iam exposita legi possunt, nimius esse videar.

§. XXVIII.

Quo igitur ratio, quam ob rem sinistrum, quam dextrum hypochondrium, inflationibus & cruciatibus, in huiuscemodi mortalibus fere omnibus, qui hypochondriacorum stirpi, siue longiore, siue arctiore, atque adeo maxime propinqua, cognatione annexi sunt & coniuncti, vltatius ac frequentius afficiatur, explicatior prodeat & illustrior, ad eam plane & perspicue expediendam nunc ingrediar. Prius vero quam ad id, quod caput rei est, perueniamus, ex vsu erit expendere, quomodo & quare *flatus* intestinorum sentinae enasci, & aluus hypochondriacis, aliisque in hunc censum venientibus, cohiberi queat, quo altius inspecto & cognito, expeditissimum erit diiudicare, quam ob rem, iis causis, quae colon, subter ilia laeua deuolutum, contrahere inque angustius adducere valent, adspirantibus, flatus aut feces sinistram, quam dextram hypochondriacam regionem saepius magisque solenniter insideant. Sunt vero flatus *maeria quaedam aërea elastica, calore corporis humani rarefacta & quoquoersus expansa, in intestinorum segmentis laxatis conclusa*, quae a spasticis constrictioni-

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 39

tionibus intercluditur, intra eorum septa cohibetur & figitur, vsque dum, relaxato claustro coërente, inde vel in aliud ei contiguum & perpetuum eiusdem intestini segmentum proruperit, vel, si recto continetur intestino, indidem per ani exitum cum sono & impetu exturbata fuerit. Ex quo itaque apparet, flatibus, in sentina intestinorum nascentis, tria semper in his praesto esse, requiri; primum *aërem elasticum*, quomocunque eo delatum, siue cum salua, siue cum alimentis potissimum aëris copia foecundis & refertis, vt qui causa eorum materialis est; tum *calorem*, quo aër, vel cum salua deglutitus, vel cum esculentis & potulentis ingestus, & eorum particulis internatus, ex horum vinculis & nexu expeditur, rarefit, atque in maius expanditur spatium, quippe qui eorundem causa existit mediata; denique, quod caput rei est, *spasnum* siue *spasmodicam intestinorum constrictionem*, vtpote quae causa omnium flatuum efficiens & formalis esse notetur, quo hisce via ex alio in aliud intestinorum segmentum erumpendi rescinditur.

§. XXIX.

Flatuum enim prouentum intestinis non sane vnquam euenire vllum posse, nisi spasmo correptis eoque ita oclusis, vt aër interceptus suis se vinculis exfoluere, inque conterminas & laxatas intestinorum partes effundere nequeat, id vel inde cuius spectatissimum sit, quod non facile quisquam mortalium, quoad prospera valetudine fuerit vsus, inueni-

inuenitur, cuius intestinorum canalis, secundum naturam, non & aëra, & calorem, atque ideo etiam flatus contineat, nullo tamen incommodo nec molestia ei inde obuiente; cuius vix vlla alia est ratio, quam quod flatibus satis amplum pateat spatium sese aequaliter expandendi, & latenter, data porta, foras proripiendi siue, vt BOERHAAVII verbis vtat, libere exhalandi *f*). Quam primum vero aëri elastico, in quapiam intestini parte seu segmento, a spasmis obex fuerit positus atque iter interseptum, eos certo in loco coaceruari figique, necesse est, vnde non mirum, intestinum hoc loci, ab inclusis flatibus, vltra suae elasticitatis sphaeram subinde distendi & acerbissimis cruciari doloribus. Caue igitur, credas, intestinorum tractum, quam longus est, impleri flatibus & refeciri; commonstrantibus passim obseruationibus & eloquente experientia, ea per partes duntaxat a flatuum interclusorum vi & copia distendi ac diuelli, vbi aliud eorum segmentum spastica strictura occupatum tenetur, aliud vero, ei continuum & proximum, quum nullis spasmis sit contentum & adductum, sed remissum & laxum, flatibus sensim ibi aggestis & cumulatis inflatur & distrahitur. Ex his proinde in medium adductis, haud obscure censeo appariturum, non posse fieri, vt intestinis flatus proueniant, nisi vna eorum parte spasmo coarctata, altera vero,

f) Vid. eius *Aphorism. de cognosc. & curand. morb.* §. 648.
& *Frid. HOFFMANNVS Libr. citat. Tom. IV. Part. II. Sect.*
II. Cap. V. §. XII.

frequentius finistrum, quam dextrum infestante. 41

verò, ei vicina & finitima, a sua contractione relaxata & patefacta.

§. XXX.

Quod vero ad *tardam* pigramque *alui* attinet *deiectionem*, hypochondriacis fere omnibus familiarem, qua *alui* feces lentissime iter suum per intestina efficiunt, nihil dubii est, quin & ea motui peristaltico interturbato, nec aequabili ratione succedenti, sed plurifarias vicissitudines conficienti, ita, vt in alio intestinorum segmento praeter modum intentus sit & in maius auctus; in alio autem retentus & remissus, veniat adscribenda. Quantumvis enim quidem ad *alui* segnitiam & obstructionem plurimum quoque conferat, si multum sedetur, parum bibitur &, ex viuendi errore, cibi duriores & sicciores, immo adstringentes capiuntur: maximum tamen huius excretionis momentum a iusto & legitimo peristaltici motus successu pendet, quo rite & sanitati conuenienter procedente, expedita quoque & valetudini congruens *alui* est deiectio; illo vero a debito suo ordine & gradu desciscente, inque alia parte intestinorum languore obtorpescente, in alia autem rursus in maius augete atque in spasmos transeunte, *alui* excretio vel pigra multum tardaque, vel omnino repressa & cohibita deprehenditur. Verum enim vero quemadmodum nihil sine radice nasci potest, sic quoque nihil potest fieri sine causa. Quo nomine quum sinistra coli curuatura a flatibus aut fecibus, intus hospitantibus, in tumorem frequentius, quam dextra, surgere & distendi

F

animad-

animaduertatur, quod fieri non potest, quin colli pars, per sinistra ilia descendens, uspiam spasmō constricta coangustetur; vel huic spasmō suam esse causam ac fomitem, vnde liqueat quam ob rem in hunc colli tractum saepius crebriusque, quam in eiusdem dextram partem, impetum faciat inuadatque, necesse est. Res igitur, tempus, ordo & propositum exigere & postulare videntur, vt haec dilucidiorē quadam declaratione omnium oculis & mentibus nunc subiiciamus.

§. XXXI.

Iam supra haud obscuris innumis verbis, neque sinistram illam flexuram colli, quae costis spuris subiaceret, neque singularem istam eius angustiam, in quam contrahitur, deorsum pergens & sinistri renis marginem legens, solummodo suppeditare ad explicandum atque intelligendum, cur statuum turba, quorum copia omnium praecipue & creberrime affluunt, qui ex hypochondriacorum sunt familia, in huiusmodi aegrotis sinistram, quam dextram, hypochondrium frequentius infideat & teneat occupatum? nisi insuper alia, quae sinistrae huic flexurae colli, praeter cetera, in dextro latere & tenuibus intestinis itidem obuia, praecipua sunt & propria, simul respiciantur, & phaenomeno huic enodatus explicando adhibeantur, quippe quorum longe maior est ad hoc planius dilucidiusque expectandum vsus & fructus, si cum ista sinistra colli curuatura, & subiecta huic eius angustia, simul coniunguntur, atque ita coniunctim isti hypochondriacorum

frequentius sinistram, quam dextrum infestante. 43

orum familiae adeo solenni symptomati explanando applicantur. Namque iam ante ex MORGAGNO audiui, hanc ipsi laeuam coli inflexionem, vnam & solam, non fuisse satis visam ad hunc nodum soluendum, quam nimirum ob causam sinister coli anfractus, quam eius dexter gyrus, crebriores & frequentiores sustineat flatuum impetus? nisi forte alia afferrentur, vnde clarius diluceat, cur flatuum agmen sinistram, prae dextra, coli curuaturam, maiore frequentia celebret.

§. XXXII.

Operae igitur pretium facturus mihi visus sum, si ista alia, a MORGAGNO desiderata, quae huic rei clarius perspicendae & cognoscendae inseruiunt, & plurimum lucis affundunt, hoc loco omnium oculis velut spectanda obiciam & arbitranda. Sunt vero haec, quae, in commemorato phaenomeno planius magisque perspicue expediendo, priores & potiores ferre iam ante multoties celebraui, ista *vasa sanguifera, sinistram potissime & transuersam partem mesocoli perreptantia*, a quibus riuus, copia incredibili, tanquam a trunco radices, aguntur in coli, hisce partibus annexi, parietes. Quae igitur vasa, si cum insigni illo anfractu seu flexu, & subiacente angustia coli intestini, sinistram hypochondriacam regionem occupatam tenentibus, consociata seu coniuncta sumuntur, & huic crebriori & frequentiori lateris sinistri, prae dextro, inflationi explicandae simul adhibentur; haud quaquam difficile nec arduum erit indidem clarissime perspicere rationem &

reddere, quam ob rem hypochondriacis potissimum, atque aliis, eadem forte censendis, sinistri, quam dextri hypochondrii inflatio & distentio eueniat longe frequentior.

§. XXXIII.

Verum enim vero quum ex supra dictis constet, flatibus iter per intestinorum canalem atque exitum obsepi non posse, nisi his vsquam vndeunque spasmo constrictis & obseratis; idem quoque hoc sinistro colo obuenerit, flatibus in huius curuatura moram neccentibus & omnino subsistentibus, necesse est. At vero sicut nihil sine causa potest oriri: ita quoque hic spasmus sine causa excitari nequit. Experimentiae autem fide compertum est, non posse vsquam in corpore spasmus quendam exoriri, ab internis si enascitur causis, nisi vel a sanguine, vberiore copia cumulado & minimos vasorum riuulos inundante atque in iisdem obhaerente, hocque pacto neruis, premendo & extendendo, vim inferente; vel ab eodem cruore, nimis crasso, denso, tenaci & viscido, meatuum angustias interceptante, & hac via itidem neruis vim faciente; vel denique ab acris quodam acidoue, vsquam in vasis vel aliis corporis partibus haerente & neruis violenter irritante. Videas itaque heic potissimas causas spasmorum effectrices, ad quas omnes, quotquot erunt, ceterae commode referri possunt. Quoniam vero flatuum in intestinis prouentus sine spasmis, utpote eorum genitoribus, nec cogitatione quidem comprehendi potest, *Frid. HOFFMANNO* praclare

clare id monente, vt qui ita prodit g): *In theoria dolorum intestinalium id maxime attendendum venit, quod horum causa, (nimirum efficiens) a qua oriuntur, longe aliam sedem fixam habeat, quam vbi eorum exacerbatio percipitur. Ita nunquam fit inflatio intestini, nisi in alia parte vel tractu cuiusdam intestini strictura spastica, angustia, praecedat vel coniuncta sit.* Hinc vel ille spasmus, colon finistrum exagitant & affligens, qui in causa est, cur hypochondriacis, hystericis, haemorrhoidariis aliisque huius generis, in sinistro potissimum hypochondrio tot tantique ac tam frequentes cruciatus & inflationes enascantur, vnam certe ex commemoratis generalibus hisce causis suam agnoscat procreatricem, necesse est.

§. XXXIV.

Profecto hac in re nimius esse omnibus viderer, hoc loco expromere conaturus omnes istas sententias, inter se diuersissimas, in quas Auctores abeunt, rationem expedituri, cur inflationes finistrum hypochondrium, quam dextrum, maiore celebrent frequentia? Quidam enim non verentur culpam in acrimoniam, nescio quam, acidam transferre, quae intestinorum tunicas irritare, & ad istiusmodi stricturas spasticas sollicitare fingitur. Alii non dubitant ipsa intestina singularis cuiusdam languoris & debilitatis accusare, quorum peristalticum ferunt motum vsque adeo inde fractum esse atque interturbatum, vt flatibus aut recrementis per ea satis

F 3

expe-

g) *Lib. cit. Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. V. §. XII.*

expedite ac fanitati congruenter deuoluendis atque aluo exturbandis non par sit & sufficiens: vnde haec in interioribus eorum recessibus, omnium vero maxime in ista coli curuatura, sub sinistro hypochondrio obuia, retardari, retineri ac figi, sicque eam inflatam in tumorem distendere putant. Nonnulli huius inflationis, laeuo hypochondrio frequentioris, natales a sola nimia spissitudine sanguinis & lenticia, (quam veneranda antiquitas *atrae bilis* nomine solebat ciere) arcessunt, quem necessitate quadam mechanico-hydraulica in vasa depelli hypochondriaca, contendunt, vbi tardius lentiusque, quam pro valetudinis prosperitate, volui & circummagi deprehenderetur. Aliorum aliae rursus de huius inflationis causa & fomite sunt sententiae. Quas si autem omnes, nimis longus esset meus sermo futurus. Reliqua igitur, quae in hanc rem dici possent, amatae breuitati studens, missa faciam, ad propositum venturus atque quam breuissime expositurus, mihi quae vera & germana horum spasmodorum, qui colon sinistrum insidendo & vellicando constringunt, atque ita flatus aut feces in coli flexibus pracludunt, causa esse videtur.

§. XXXV.

Istam sinistri hypochondrii inflationem qui aequa animi lance pensitauerit & secum reputauerit, eam non facile aliis aegrotis, praeterquam hypochondriacis & qui ex horum sunt familia, vel hysteriacis, haemorrhoidariis, melancholicis, cetera, omnium praecipue & frequentissime accidere seu
cont-

contingere, vulgari & quotidiana experientia ipsa loquente, & Viris scientia artis medicae principibus, id, communi fere omnium consentu & suffragatione, confirmantibus: is, vel me tacente, indidem clarissime perspiciet, ex eodem hanc sinistri hypochondrii inflationem emanare fonte, ex quo passio hypochondriaca ceteraeque affectiones, huic affines, fluunt; ideoque cuncta haec mala, quibus tam arctissimus, alii cum alio, intercedit nexus, ex communi omnium scaturigine exoriri. Nascitur vero hypochondriaca affectio & reliqua, ex radice omnium communi pullulancia, mala, si sanguineo liquido, (vel vberiore copia cumulato; vel nimia lentitia & tenacitate praedito; vel abundantia & spissitudine vna delinquenti,) a visceribus cum vena portarum connexis reuertenti, & per iecinoris viscus permeaturo ac transituro, in eodem hoc viscere mora atque impedimentum iniicitur, quo minus iter suum per eius ramos satis expedite sanitateque conuenienter conficere, inque venas hepaticas adspirare queat. Qua quidem ratione, quum sanguinis progressui in hepate tam plurimum impeditenti inferatur, non facile cuiquam mirum videbitur, vitali huic liquido etiam in reliquis venae portarum ramis, cruorem a multis in abdomine reconditis visceribus reuehentibus, similiter moram interponi atque impedimenta obiici, quo minus iter suum expeditum relegere queat.

§. XXXVI.

Quodsi vero in vllis venae portae ramis, a ventriculo & intestinis profectis, & vitalem humorem indidem

indidem in venae portae truncum reuehentibus, huic purpureo latici, eo redeunti, naturaliter multa mora & tarditas infertur: certe id iis euenit venis, quae sanguinem ab intestinis in nominatae venae alueum reducunt, inque omnium primis venae meseraicae minori vel, si magis arriserit, haemorrhoidali internae, vt quae via ceteris mesenterii venis multo longiore, & in altitudinem directa, per sinistram mesocolon pergit, quo itinere innumerabiles de se spargit furculos, in se mutuo coeuntes sicque elegantes orbes constituentes. Quae, vbi ad ramum venae portae splenicum peruenerit inque eum se aperuerit, sanguinem, quem a colo intestino refoque reuexit, in eius alueum euoluturus, multa ibidem offendit impedimenta, sibi a vitali liquido, in vena splenica continenter praeterlabente & ab liene, sinistra ventriculi extremitate, cetera, recedente, obiecta, quippe quod haemorrhoidali sanguini, sublime lato & in splenicum hunc ramum se illaturo, semper renititur, impediendo ita, quo minus haemorrhoidalis vena se sua mole facile expediteque leuare, atque eam in splenicum ramum euoluere queat. Est vero haec venae haemorrhoidalis insitio & coniunctio cum trunco, siue splenico, siue, quod longe rarius est, mesenterico, quamuis prima facie leuis & vix operae pretii multis esse videatur, tanto diligentius & curatius animaduertenda, quanto maioris est momenti ad clarius perspiciendum & cognoscendum, quam ob rem sanguinis per venam haemorrhoidalem regressus & illapsus in splenicum ramum tantis obstructus sit difficultatibus.

tibus. Cetera, quae huic venae cum aliis, per mesenterium disseminatis, communia sunt, & quae item suum conferunt symbolum ad istum sanguinis naturam tardiolem & difficiliolem regressum; cuiusmodi sunt, valvularum in vniuersis his ramis defectus, absentia partium motricium, quae hisce canalibus, intra solas mesenterii membranas interstitis, auxilio venire & liquidorum reuersionem promouere possent, aliaque huius census, consulto tacitus praetereo.

§. XXXVII.

Quoniam itaque sanguis, secundum naturam, tam tardus per hanc mesentericam minorem & lentus fertur; quanta nonne cunctatione, tarditate & difficultate demum censet eum per hanc haemorrhoidalem venam esse rediturum, corporis succi copia affluentibus, aut nimia crassitudine affectis, vel vtraque ratione simul vitiatis? Et quum inprimis hypochondriaci & omnes ceteri, qui de eorum grege sunt, sanguinem huiusmodi, vel certe immodica lentitia & visciditate dotatum, suis in vasis foueant; spectatissimum inde cuius erit, quam ob rem, in hoc aegrotantium potissime, tam sit impeditissima sanguinis & difficillima per hanc inprimis venam reductio, & cur nimia liquidorum vitalium vel spissitudo, vel exsuperantia, riuu sanguinei cursum per hepatis vasa impediatur, nec insolenter praecludatur. Quod si enim sanguis per iecinoris vasa segnior iusto solitoque tardior fertur, moram subinde in iis ducendo & obhaerendo; cruori isti omnium frequentissime, per venam haemorrhoidalem internam redeunti,

G

tanto

tanto plura obiciantur & maiora impedimenta, quam reliquis vitalibus liquidis, per ceteras mesenterii venas reuectis, necesse est, quanto longius itineris spatium ei in hac vena, permultis & multifariis gyris implicita *b*), est emetiendum, & quo altius eidem, directione perpendiculari, hac in vena, intra nudas mesenterii membranas decurrente, nec vllis externis adminiculis suffulta, ascendendum. Sanguine autem in huius venae trunco cunctantius aequo ac languidius reuertente, non potest fieri, quin eius sanguinei quoque riuuli, copia incredibili, istam coli intestini partem, quae per ilia sinistra deferretur, irrigantes, vitalium liquidorum vi ac mole inundentur & obruantur.

§. XXXVIII.

Nec cuiquam hanc ramulorum, quos significata haec vena profert atque in sinistrum colon emittit, inundationem intellectu arduam cenfeo visum iri ac difficilem, curatius expensuro illam sanguinis copiam, quam inferior mesenterica arteria assidue laeuo huic colo affert, compellendo eum in vltimos quosque furculos, cum extremis venae haemorrhoidalis ramulis *αμείσως* coeuntibus, in quos eidem, quoad satis fluidus & meabilis exstiterit, aditus patebat & transitus in haemorrhoidalem venam expeditissimus; nunc vero, sanguine ob nimiam crassitudinem vel copiam, in vena nominata, haerente & iusto tardius relabente, longe difficilior & impeditor accessus datur atque exitus. Qua quidem ratione, quum latici vitali, per arteriae mesentericae inferioris

b) Vid. EVSTACHII *Tab. anatom. XXVII. Fig. II. & IV.*

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 51

ris tubulos minimos huc deuoluto, tot tamque magna impedimenta sese obuia ferant, quo minus expedita celeritate has meatuum angustias, ibi potissimum obuias, vbi vltimae, & venae haemorrhoidalis, & arteriae mesentericae inferioris, propagines, frequentibus admodum orificiis, inter se coniunguntur; in procliui erit ex adductis in medium vnicuique cognoscere, quomodo & quam ob causam minutissimi isti commemoratarum venae & arteriae ramusculi, omnium facillime a tam crasso & glutinoso liquido oppleantur & infarciantur.

§. XXXIX.

Accedit etiam istud, quod vtriusque generis furculi postremi, intra musculosam & nerueam colicunicas disseminati, atque alius alio implicati & contentes, elegantissimi retis speciem induant, cui innumerabilia neruorum fila intexta sunt ¹⁾, id quod WILLISIVM impulit, opus hoc reticulatum, ex omni varietate vasorum concinnatum, peculiarem quandam intestinorum tunicam, *nerueae* ipsi nomine denotatam, declarare. Quae qui exquisito examine perpenderit, is facile causam perspiciet, cur sanguis tanta spissitudine, hasce minimorum vasculorum angustias perlapsurus, ipsi non satis peruias, tam prompte in iis moram ducat, atque identidem insistat & obhaereat. Tandem vel illud hoc loco subnectere non erit alienum, vitalium liquidorum motum, constanti naturae praescripto, in minoribus minimisque vasorum tubulis semper eo magis tardescere & relanguescere, quo graciliores euadunt ac teneriores;

G 2

&

¹⁾ Vid. WINSLOV. *Lib. 5^o Tom. cit. Trait. de Bas-ventre, §. 99.*

& quo disiunctiores sunt ac remotiores a corde, utpote fonte & capite omnium riuorum sanguineorum, corporis partes quascunque alluentium atque interluentium. Ex quibus proinde denuo appariturum arbitror, quare sanguineis fluidis, minima vascula traiecturis, omnium praecipue maxima impedimenta obiiciantur superanda, nec insolenter obex ponatur. Cetera, quae de lentissimo ac difficillimo sanguinis itu redituque per hasce minimorum ramulorum implicationes proferri possent, breuitatis causa, silentio premam: mihi enim satis est eorum potiora duntaxat ac praecipua hoc loco commemorasse.

§. XL.

Animum igitur qui attenderit ad *nimiam* istam sanguinis spissitudinem, cum eius affluentia pluries coniunctam; ad venae haemorrhoidalis internae insertionem seu immisionem in ramum venae portae splenicum; ad eius ascensum fere perpendiculararem; ad defectum valvularum in ea; ad eius incessum intra nudas mesocoli membranas, nullis musculis extrinsecus contactas, nec ullis aliis stabilimentis munitas; ad itineris longitudinem, ei praeter ceteros ramos, in mesenterium dispersos atque ex vena mesaraica maiore enatos, praecipuam & peculiarem; ad *quamplurimos* istos eius orbis seu gyros, in quos voluit sublimis abiens; ad *ingentem* istam *minimorum ramulorum*, quos ex se in sinistri coli & recti intestini tunicas diffundit, *multitudinem*; ad horum *teneritatem*, *exiguitatem*, *angustiam* & *conuersionem*, siue coniunctionem cum *ultimis surculis* arte-

arteriae mesentericae inferioris; ad permixtas eorundem implicationes, retis speciem prae se ferentes, & intestinorum tunicis interiectas; ad illam cunctationem & tarditatem sanguinis, per venam haemorrhoidalem regredientis, &, dum fere recta & ad perpendiculum sublimis fertur, sua grauitate semper deorsum nitentis & relapsuri, quo fit, vt sanguis inferior, ab vltimis binis coli flexuris & ab recto intestino refluxus, perpetuo deprimatur & retrudatur; ad plurifarios denique illos renixus, qui cruori, arteria mesenterica inferiore huc agitato, & in venam dictam transituro, in horum meatuum angustiis opponuntur: is dico, qui ad haec animum aduerterit, nullo negotio cognoscet, cur sanguineorum liquidorum, per angustissimos minimorum vasculorum meatus, in laeuo hoc loco & recto intestino, tam impeditissima sit, difficillima ac maxime retardata traiectio & propulsatio, accedentibus eiusmodi praefertim procatarteticis causis, quae nimiam eorum copiam cumulant. Nec sane obscurum erit indidem intelligere, vnde tot, tanta tamque grauissima sinistro huic colo & recto intestinis haud insolenter proueniant mala, obice refluxis vitalibus fluidis in iecinoris abditis posito, vel certe mora atque impedimento hoc in viscere ipsis iniecto; quo efficitur, vt ea tantum non in medio suo per hanc maxime venam, cum sinistro colo & intestino recto pari velut passu ambulantem, recursu deficiant, & sensim plus cumulata, sanguini, ex minimis arteriae mesentericae inferioris tubulis in similes huius venae canaliculos transfundendo, remoram inferant

viamque intersepiant: qui ita impeditus & retardatus, vel etiam meatuum angustiis interceptus, si id vltimis potissime binis coli flexuris & recto intestino euenerit, hisce partibus multiuges spatias conflabit stricturas, quas, si mitiores fuerint, scholae medicae nomine *moliminum haemorrhoidalium* cingere consueuerunt; sin vero eadem haec vascula, recti intestini tunicis potissimum internata, & concluso intus cruore praeter modum repleta & distenta, crepuerint seu fuerint rupta, vt ei inde exitus in recti sentinam pateat, *haemorrhoides internas* easque *fluentes* vocare solent.

§. XLI.

Haec ergo, rite & sufficienti copia fluentes, cruori, in hac vena haerenti & cunctantius difficilisque remanenti, spatium expeditius celeriusque recurrenti exhibent: iisdem vero non pro eo, vt conuenierit, succedentibus, vel parcissime duntaxat manantibus, vena quoque haec sanguinis onere non leuabitur, qui ergo omnis in ea relictus, extremis arteriae mesentericae inferioris ramulis impedimento est, quo minus suum sanguinem iusta mensura in huius venae riuulos extrudere inque ipsum eius alueum propulsare queant. Hic itaque, quum ei non satis pateat exitus in dictam saepius venam, diutius quam par aequumque est, morando & cunctando in minimis illis furculis, retis in formam implicitis, & intestinorum tunicis intertextis, hac via, & sinistri coli flexuris iisdemque vltimis, & recto intestino, vim ac violentiam affert, ea constringendo atque ocludendo; quo flatus aut feces hisce in partibus intercluduntur. Et hinc hypochondriacorum familiae in binis hisce coli curuaturis
prima

frequentius finiftrum, quam dextrum infefante. 55

prima mali labes venit. Iam vero quum legibus confter hydraulicis, fluida, quae per canales inter fe communi- cantes mouentur, vno vel pluribus horum, vel omnino obftructis, vel certe non fatis patentibus & permeabilibus, manente eadem vi impellente, continuo in alios patentio- res magisque peruios ruere: nihil fane dubitationis eſt, quin & haec fanguineis liquidis, quae pariter per vafo- rum ramos, in communem quempiam truncum abeun- tes & hiantes, perenni motu agitantur, ſint euentura, ali- quot vel pluribus horum ramorum conniuentibus, aut omnino obftructis, vel certe, quod perinde eſt & eodem recidit, ita impeditis, quo minus fe fanguinis mole com- mode leuare, eamque in alios reſtuos riuos euoluere que- ant.

§. XLII.

Verum enim vero quum ſupra proditum ſit, arte- riam meſentericam inferiorem in tres haud fane exiguos diſtrahi ramos, quorum ſupremum a latere coli ſiniſtri meſocolon recta ſurſum perreptare dixi, & cum alio fatis amplo ramo, ab arteria meſenterica ſuperiore profecto, in vnum canalem coire; infimum vero, deorſum flexum, & quamplurimis riuulis diſſectum, binas vltimas huius coli flexuras & inteſtini recti tunicas irrigare: vniciue inde fatis liquebit, fanguinem huius infimi rami, ſi ei via, qua in vltimos venae haemorrhoidalis ſurculos traici ſo- let, omnino ſit obſtructa, vel certe ita intercluſa, vt ſuis ſeptis exire inque dictos ſurculos ſe inferre nequeat, ex legibus iſtis hydraulicis, maiore copia in ſupremum, quem nominata meſenterica inferior exporrigit, ramum eſſe ruiturum ac redundaturum. Quoniam vero haec infe- rioris meſentericae propago, in tranſitu, innumerabiles profert

profert ramusculos, sinistro coli tractui & isti commemo-
rabili eiusdem huius intestini angustiae, statim sub laeua
coli anfractu seu flexu obuia, & ad sinistrum renem anne-
xae, commissos atque inritos, vel hosce quoque iam co-
piosius sanguine inundari atque obrui, necesse est. Cui
quum similiter iter in haemorrhoidalem venam vel pror-
sus intersepriatur, vel certe non satis viae in eandem illa-
bendi pateat; non potest non pari ratione in minimis istis
vasculis, retis modo contextis, & intra huius intestini tu-
nicas reconditis, penitus subsistere & commorari, atque
ita eas premento, distendendo, aut vellicando, in multifa-
rios motus spasticos agere seu concitare, qui tunc illam
singularem angustiam, quae coli est, & reni sinistro ac-
cumbit, sic coarctant occluduntue, vt nec alui fordes, nec
flatus eam peruadere & ad inferiora descendendo perue-
nire queant. Quae idcirco, itinere ipsis intersepro, in si-
nistro coli gyro seu flexu retardata, plus plusque sensim
collecta & praeter modum cumulata, hanc curuaturam
nimium expandendo & distendendo, sinistrum illud hy-
pochondrium in tam conspicuum subinde tumorem, acer-
bissimis multoties & tristissimis stipatum doloribus, attol-
lunt.

§. XLIII.

Sed fortasse quispiam heic obiicere posset, in arte-
riarum ramis istis designandis, quae mesocoli partem su-
perioiorem & sinistram percurrunt, supra dixisse me, pro-
paginem hanc supremam, ex mesenterica inferiore ena-
tam, cum alio quodam ramo, quem superior exprimit
mesenterica, manifestam & maxime conspicuam facere
coitionem, atque adeo canalem quendam vtriusque arte-
riae, tum superioris, tum inferioris, communem, arcus in
modum

modum per mesocolon repentem, a quo complures riui non magis in sinistram coli, quam eius superiorem & transversam partem defluerent (§. XVIII.). Quocirca, si sanguini, ex hac inferiore mesenterica in venam haemorrhoidalem transmigraturo. ob interiecta impedimenta & obstacula, eo nullus vel certe non satis expeditus pateret accessus, sed ideo ab infimo eius ramo in hunc supremum retro esset exundandum vel, si magis placuerit, regurgitandum: non satis causae videri subesse, cur nec coli transversus tractus aequae ac sinistra eius productio, vberiore sanguinis copia inunderetur & oppleatur, atque ita pariter ad spasticas stricturas sollicitetur.

§. XLIV.

Quanquam haud equidem abnuero, vel hanc coli partem transversam multis riuilis, a ramo venae haemorrhoidalis superiori decurrentibus, allui & rigari, ac propterea quoque, his suum sanguinem in haemorrhoidalis venae alveum reuehere impeditis, vehementibus spasmis similiter subinde affligi: tenendum tamen est, propaginem istam arteriosam, quae ex mesentericae inferioris trunco progerminat, arteriae colicae sinistrae nomine supra insignitam (§. XVII.), maiore societate atque commercio cum vena haemorrhoidali coire, quam alterum ramum, a mesenterica superiore enatum & arteriam colicam superiorem WINSLOVIO appellatum (§. citat.); hoc est, arteriam colicam sinistram frequentioribus riuilis, quam colicam superiorem, cum vena haemorrhoidali esse coniunctam. Deinde vel illud omnium probissime animaduertendum est, sanguinem, qui arteria colica superiore, via transversa, procurrit, impetu quodam ferri atque irruere in cruorem istum, hac

H
sinistra

sinistra colica sursum & ad perpendiculum ascendentem, eique obuium factum, quo mutuo sanguinis incurfu atque impetu, in canali hoc, vtrisque mesentericis arteriis communi, non eius solum motus & celeritas admodum infringitur & debilitatur, verum etiam, quod omnium potissime notandum, id vitalis liquidi, quod hac sinistra colica arteria in sublime fuerit agitarum, nisi omnino repellitur, certe tamen admodum inhibetur & praepeditur. Id quod ita in ipsa via retardatum necessario vberius aequo in minores istos ac minimos transibit tubulos, qui ex hac arteria surgentes, innumerabilibus sese ramulis in sinistrum colon explicant. Postremo nec illius obliuiscendum est, hunc ramum, cui nomen *sinistrae colicae* haeret, eundem cursum constantissime seruare, quem sinistrum colon tenet, & huic similiter inflecti in mesocolon transversum, simul ac commemoratam saepius laeuam coli curuaturam attigerit. Quam vero multum, vel haec huius colicae sinistrae arteriae inflexio seu circumactus, sanguinis liberum & facilem in ea impediatur progressum, haec confectari nihil attinet nec instituti fert ratio. Qui enim ex hydraulicis didicerit, liquida, per canales mora, semper tantum celeritatis suae perdere, quantum ipsis resistentiae obicitur: is, vel me tacente, haud aegre perficiet, quemadmodum latici sanguineo, hac laeua colica arteria in sublime lato, ab hac quoque huius rami inflexione mora interponi possit atque impedimentum.

§. XLV.

Quae cuncta quum arteriae colicae superiori non ita euenire videas, vt quae sanguinem neque recta sursum pellit, sed via transversa agit, neque tam frequentibus furculis venae haemorrhoidali internae implicatur,

aut

frequentius sinistrum, quam dextrum infestante. 59

aut intorquetur : liquidissimum tibi nunc esse futurum existimem, quam ob causam sinistra coli flexura magis solenniter inflationibus tentari & torqueri soleat altera, in contraria regione, seu dextra, haerente, quippe cui vix vltimum est cum vena haemorrhoidali interna commercium, nec vlla neque in transuersa, neque in dextra coli parte, angustia, quae alui recrementis aut flatibus impedimentum afferre & obicem ponere possit. Quocirca iam ex hisce in medium adductis cuilibet satis fore perspicuum arbitrer, istam sinistram coli flexuram, quae tamen praecipua & potissima sinistri hypochondrii inflationis causa in Medicorum scholis celebratur, haudquaquam sufficere solam huic symptomati, hypochondriacis omnium frequentissimo, enodatissime expediendo seu explicando, nisi simul ad *arctissimum* istum, *qui huic flexui cum vasis intercedit sanguiferis, nexum* respiciatur, quippe quorum partes in hoc malo ad verum explanando omnium praecipuae sunt, quemadmodum quisque deprehendet, qui mali hypochondriaci & aliorum morborum, non multum ab eo abludentium, indolem, ex eius causis, ad verum exactis, altius inspexerit. Nihil ergo mihi esse reliqui deprehendo, nisi vt ipsam quoque huius mali curationem hoc loco subtexam. At vero quum haec a mali hypochondriaci sanatione nihil distet & diuersa sit, quam cuius e Practicorum monumentis haurire licet, portum respiciam & ex hoc pelago me recipiam.

T A N T V M.



VIRO



VIRO
CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
CONRADO ZACHARIAE BOEHME,
SVPREMORVM IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATO

S. P. D.

CAROLVS PHILIPPVS GESNER,
PHILOS. ET MEDICIN. DOCTOR,
SERENISS. POLON. REGIS A CONSIL. AVL. ET ARCHIATER,
ACADEM. CAESAR. NAT. CVRIOS. SODALIS.


Cum literis, die tertia huius mensis datis, illius me necessitudinis, quae ante hos pene tres annos per plures menses inter nos intercessit, memorem esse velis, non possum, quin peritissimo nostro Chirurgo aulico, GAERTNERO, gratuler te discipulum, mox magistrum aequaturum. Ille enim, in arte longo vsu exercita paucis comparandus, fuit occasio, qua, aulae Regiae medicam curam gerens, modestiam Tuam, VIR CLARISSIME, ingenium, diligentiam, & habitum ad artem nostram, tum qua manu medetur, tum qua morbos salutaribus pharmacis leuat, cognoui & amavi. TIBI itaque, EXPERIENTISSIME BOEHM, post legitime ab inclyta Fridericiana collatos honores, illos successus ex animo opto, quos theoria, artis nostrae exercitio iuncta, indubitatos, eosque generi humano utilissimos permittit; inprimis, si non intermisso studio, quod facis, verus diui Senis HIPPOCRATIS discipulus nunc esse pergas, cuius rei documentum, expecto Tuam, de qua scribis, de Inflatione hypocondriorum Dissertationem. Ceterum Illustri Praesidi Academiae Natur. Curios. CELEBERRIMO RÜCHNERO, eas a me salutes, quas tanto nomini debeo, vt seras, & me semper in amicorum numero vt habeas, etiam atque etiam rogo. Scribebam
Varsaviae die XV. Iul. MDCCLVIII.



01 A 6528

ULB Halle 3
002 928 698







15.

DE
INFLATIONE
HYPOCHONDRIORVM
FREVENTIVS SINISTRVM
QVAM DEXTRVM INFESTANTE,

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
PRO-RECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. XXV. AVGVSTI, A. S. R. clō MCC LVIII.

PVBLICE DISSERTET
AVCTOR

CONRADVS ZACHARIAS BOEHME
MAGDEBVRGICVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE E TYPOGAPHEO HENDELIANO.

